

lertantia Ordinariorum exhibito, necnon casu, ut praefertur, excepto sententiam protulit: deum vero ad enixas preces Charissimi in Christo Filii nostri Petri Portugalliae itidem, & Algarbiorum Regis Illustris, accedentibus etiam supplicationibus Venerabilium Fratrum Episcoporum, necnon dilectorum Filiorum Religiosorum, Senatum, Collegiorum, Academiarum, & Universitatum Regni Lusitanici, & iteratas instantias dilecti pariter Filii Paulini Bernardini Fratris expresse professi Ordinis Praedicatorum, in Sacra Theologia Magistri, Cause Beatificationis, seu Canonizationis huiusmodi Postulatoris in eadem Congregatione Cardinalium, proposito Dubio: An Sententia supradicta esset confirmanda in casu, & ad effectum, de quo agebatur, relativae contentis in dictis Processibus, eisque serio, & diligenter discussis atque examinatis, dicta Congregatio Cardinalium, audito pariter in scriptis, & in voce dilecto Filio Promotore Fidei, de cultu immemorabili constare, praedictamque Sententiam confirmandam esse censuerit. Hinc est quod Nos piis, & devotis dicti Petri Regis supplicationibus nobis super hoc humiliter porrectis favorabiliter annuere cupientes, Decretum a memorata Cardinalium Congregatione editum, ut praefertur, quod scilicet, de cultu immemorabili dictae Beatae Joannae, & casu excepto a Decretis praefati Urbani Praedecessoris consistet, Apostolica auctoritate tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, salva tamen semper in praemissis auctoritate praefatae Congregationis Cardinalium.

Decretum Congregationis approbans sententiam.

Confirmatio huius Decreti praevius praefati Regis Portugalliae.

Clausula.

§.2. Decernentes easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & spectabit in futurum plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari; sicque in praemissis per quoscumque Iudices Ordinarios, & Delegatos, etiam Causarum Palatii Apostolici Auditores, iudicari, & diffiniri debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, ceterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut ipsarum praesentium Literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personae in Ecclesiastica Dignitate constitutae munitis, eadem prorsus fides in Iudicio, & extra illud habeatur, quae haberetur ipsi praesentibus si forent exhibitae, vel ostense.

Datum Romae apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Piscatorum die IV. Aprilis MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

L.V.

Confirmatur erectio Provinciae Hispan. Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, cum reintegratione Provinciae Bononien., ac nonnullis Ordinationibus.

Dat. 13. Mail 1693. An. 2.

Ob Inn. XI. Const. ed. 1684. Aug. 31. P. 8. Laici eligi nequeunt in Consultores. Neque gaudere voce activa, & passiva, prout in hujus Pontificis Const. ed. 1697. Aug. 20. P. 7.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

IN supremo militantis Ecclesiae solo paternam Christifidelium divinis obsequiis sub suavi Religionis iugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino proferre jugiter satagentium curam gerentes, illis, quae felici illorum regimini, religiosaeque tranquillitati conducere, arbitramur, peculiarem Pastoralis muneris nostri sollicitudinem, propensa charitate adhibemus, sicut omnibus maturae considerationis trutinam perpensis salubriter in Domino expedire conspiciamus.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecerunt dilecti filii Praefectus Generalis, & alii Superiores Congregationis Clericorum Regularium ministrantium Infirmis, quod dicta Congregatio diversis temporibus pro ipsorum temporum, & rerum varietate, aliis, atque aliis modis, & formis, semper tamen ex Sedis Apostolica indulto gubernata fuit, in ejus etenim primordiis, videlicet anno 1591. tempore fel. record. Gregorii XIV. praedecessoris nostri Praefectus Generalis ejusdem Congregationis eligi consueverat ex toto corpore ipsius Congregationis, quae postea in quinque Provincias, videlicet Romanam, Neapolitanam, Mediolanensem, Siculam, & Bononiensem divisa fuit absque ulla Alternativa, atque ita usque ad annum 1628. observatum fuit, quo tempore rec. mem. Urbanus PP. VIII. etiam Praedecessor noster, decrevit, ut dictus Praefectus Generalis per turnum, una quidem vice ex Romana, altera vero ex Neapolitana, & sic successive ex aliis dictae Congregationis Provinciis eligeretur, ex singulis enim aliis quatuor Provinciis, ex quibus Praefectus Generalis electus non esset, singuli Consultores Generales, ex ea vero, ex qua idem Praefectus Generalis pro tempore fuisset, Arbitri Generales respective assumebantur, sicque servari contigit quousque particularis Congregatio a similis mem. Innocentio PP. X. pariter Praedecessore nostro deputata in duas Provincias, nempe Neapolitanam, quae etiam Siculam comprehenderet, ac Romanam, quae reliquas Provincias praedictas contineret, redegit; verum cum praemissorum occasione variae perturbationes suborta fuissent, pia mem. Alexander PP. VII. similiter praedecessor noster memoratam Congregationem in quatuor Provincias Romanam videlicet, quae universum Statum Ecclesiasticum, ac Etruriam comprehenderet, necnon Neapolitanam, & Siculam, ac Mediolanensem, quarum postrema reliquas ejusdem Congregationis, & etiam nonnullas in Hispania fundatas Domos contineret, divisit, & reduxit. Ac insuper voluit, ut Praefectus Generalis alternatim una quidem vice ex Romana, & Mediolanensi indistincte, altera vero vice ex Neapolitana, & Sicula Provinciis praedictis, pariter indistincte eligeretur, ceterum unaquaque Provincia suum habeat Consultorem Generalem; ex illarum vero duarum Provinciarum, ex quibus Praefectus Generalis electus

Referuntur antiquae divisiones Provinciarum, & modo eligendi Praefecti Generalem.

Cause hujus Constitutionis.

etus esset, altera, cui scilicet praefectum Generalem ex ea eligi nequaquam obtigisset, Arbitri Generales assumeret. Porro ut ejusmodi turnus servaretur, Provincia Bononien. supradicta dissoluta, atque inter Romanam, & Mediolanensem respective Provincias divisa fuit.

§.2. Cum autem sicut eadem expositio subjungebat integra nunc ejusdem Congregationis Provincia in Hispaniis erecta seu fundata, nondum tamen a Sede praedicta confirmata reperitur, ac proinde quo dictus turnus in posterum, continuari possit, omnisque dissidiorum, quae in ipsius Congregationis Capitulo Generali, quod de praesenti celebratur, evenire possent, occasio tollatur, ipsi Exponentes dictam Provinciam, Bononiensem in pristinum statum restitui, ipsamque novam Provinciam Hispaniarum ad hoc, ut Praefectus Generalis una quidem vice ex Romana, Mediolanensi, & Bononienfi indistincte, quemadmodum de praesenti servatur, altera vero vice ex Neapolitana, Sicula, & Hispaniarum respective Provinciis, prout in Capitulo Generali praedicto servandum erit, eligatur Apostolica confirmationis nostrae patrocinio communitari, necnon ut singulis Provinciis huiusmodi satisfiat ipsi Capitulo Generali, ut postquam dictus Praefectus Generalis sic electus fuerit, eligere possit Priorem Generalem, qui simul etiam sit Consultor Generalis, & aliis Consultoribus Generalibus praecedat, ipsoque Praefecto Generali, mortis, aut cessionis, aut visitationis, aut alia ex causa deficiente Vicarius Generalis, ita tamen, ut unum tantum inconsultis Generalibus suffragium ferre queat usque ad reditum dicti Praefecti Generalis, si is visitationis causa abfuerit, si vero mortis, cessionis, vel alia ex causa esse desierit usque ad electionem novi Praefecti Generalis remaneat; necnon praeterea singulos eligere valeat Consultores Generales ex singulis aliarum duarum Provinciarum ex tribus, quibus obtigit Procurator Generalis, aliumque Consultorem Generalem ex duarum Provinciarum ex tribus quibus obtigit Praefectus Generalis altera, ex altera vero Secretarium Consultae Generalis, qui simul officium Arbitri Generalis exerceat facultatem concedi. Et quia praeteritis temporibus multi Praefecti Generales cum aliarum Provinciarum damno, & totius Congregationis offensa ipsam Congregationem Superioribus sibi Patria, seu Natione conjunctis repleverunt, ne de cetero quisquam Congregationis huiusmodi Professor Provincialis, Praefectus, aut Superior Localis extra suam Provinciam eligi, seu deputari, neque in Capitulis Provincialibus, & Generalibus ejusdem Congregationis voce passiva, nisi in sua Provincia gaudere possit a nobis interdici, & prohiberi summopere desiderent. Nobis propterea Exponentes praefati, asserentes votum Capituli Generalis supradicti a Congregatione nonnullorum Venerabilium Fratrum, nostrorum S. R. E. Cardinalium a Nobis specialiter deputata conquisitum super praemissa omnibus, & singulis id unum fuisse, humiliter supplicari fecerunt, ut in ipsam praemissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Preces Capituli Gen.

§.3. Nos igitur Congregationis Clericorum huiusmodi statui, & felici directioni quantum nobis ex alto conceditur prospicere, ipsosque exponentes specialis favore gratiae prosequi vo-

lentes, & eorum singulares personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodatae existunt ad effectum praesentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, huiusmodi supplicationibus inclinati, de memoratorum Cardinalium, qui praedictum votum audiverunt, consilio, erectionem, seu fundationem supradictae Provinciae Hispaniarum auctoritate Apostolica tenore praesentium confirmamus, & approbamus, illique inviolabilis Apostolica firmitatis robur adjicimus, ac omnes, & singulos Juris, & facti defectus, si qui desuper quomodolibet intervenerint, supplemus. Praeterea Provinciam Bononiensem praesentem in integrum, & pristinum, ac eum in quo antequam dissolveretur quomodolibet erat statum eadem auctoritate harum serie restitui, reponimus, & plenarie reintegramus, ita ut eidem Provinciae Bononien. assignandi sint Conventus, quibus illa ante dissolutionem constabat, etsi qui alius Conventus abinde citra fundatus fuerit in finitimis illis locis circa quem dubium oritur cuinam Provinciae assignari debeat, assignatio huiusmodi arbitrio Capituli Generalis Congregationis huiusmodi facienda sit. Primo, ut Praefectus Generalis memoratae Congregationis de cetero per turnum una quidem vice ex Romana, Mediolanensi, & Bononienfi indistincte, alia vero vice ex Neapolitana, Sicula, & Hispaniarum Provinciis supradictis eligi debeat, quemadmodum antehac una vice ex Romana, & Mediolanen., alia vero vice ex Neapolitana, & Sicula respective Provinciis huiusmodi eligi consueverat, auctoritate, & tenore praedictis statuimus, & ordinamus. Similiter Procurator Generalis ejusdem Congregationis, qui infimul etiam Consultor Generalis esse, aliisque Consultoribus Generalibus praecedere, necnon Praefecto Generali praefato quomodolibet deficiente Vicarius Generalis ipsius Congregationis remanere debeat, ex altera illarum trium Provinciarum, quibus turnus electionis dicti Praefecti Generalis minime obvenerit, in Capitulo Generali praedicto eligatur. Ceterum ex aliis duabus Provinciis, quibus turnus electionis Procuratoris Generalis huiusmodi obtigerit pro qualibet illarum unus Consultor Generalis, ex reliquarum autem duarum Provinciarum, quibus turnus electionis dicti Praefecti Generalis obvenerit, altera quidem alius Consultor Generalis, reliqua vero Secretarius Consultae Generalis, qui infimul officium Arbitri Generalis ejusdem Congregationis exercere debeat respective assumantur. Demum quod nullus de cetero dictae Congregationis professor Provincialis, Praefectus, seu Superior localis extra suam Provinciam eligi, seu deputari, neque in Capitulis Provincialibus, seu Generalibus ejusdem Congregationis vocem passivam nisi in sua Provincia habere possit, dicta auctoritate earundem tenore praesentium decernimus, & ordinamus.

Confirmatio erectionis Provinciae Hispaniarum.

Reintegratio Provinciae Bononien.

Ordinationes

Clausula.

§.2. Decernentes pariter easdem praesentes literas semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suisque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quocumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective



quandam Domunculam cum suis mansionibus, & viridario, juxta eandem Ecclesiam, ejusque atrium majus, prefatumque hortum, ad duos ejusdem Ecclesie Canonicatus, seu prebendas spectantem, a prefatis Ecclesia, seu mensa, aut massa, & respective a dictis duobus Canonicatibus, seu prebendis, data tamen iidem equivalenti, seu majori retributione, & cum eorum evidenti utilitate, perpetuo dismembravimus, & separavimus, illumque, & illam sic dismembratum, & dismembratam, cum omnibus, & singulis illorum membris, dependentiis, & pertinentiis, omnibusque, & quibuscumque juribus, obventionibus, & emolumentis universis, undecumque provenientibus Hospitio prefato, a quo, seu a predicto Palatio pauperum invalidorum, habitationis ad supradictos hortum, viridarium, & domunculas mediante transitu super porticum magnam dicte Ecclesie Lateranensis de mandato nostro constructo, patet accessus, ad prefatorum pauperum usum, commoditatem, & utilitatem perpetuo concessimus, assignavimus, & applicavimus, iidemque perpetuis dismembrationi, separationi, concessioni, assignationi, & applicationi Capitularis eorumdem Capituli, & Canonicorum prefate Ecclesie, necnon particularis duorum Canonicorum predictos duos Canonicatus, seu prebendas possidentium, per dicta acta prefati Ludovici Martoli eadem die prima mensis Martii proxime prateriti accessit assensus.

Edificium S. Michaelis ad Ripam Tyberis cum vinea assignatur puerorum habitationi.

§.6. Pro habitatione vero puerorum Edificium a quodam Carolo Thoma Odescalco Basilice Principis Apostolorum, dum vixit, Canonico, a fundamentis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam sub invocatione Sancti Michaelis constructum, & ab eo sub protectione dilecti filii nobilis Viri Livii Odescalchi Ducis Ceræ, cum substitutione tamen ad nostri favorem, quatenus simile opus pium puerorum ibidem institutum non continuaretur, in ejus testamenti, & Codicillorum schedula, relicto, & ex causa cessionis jurium in vim dicte schedule competentium, seu permissionis purificationis prefate substitutionis, ad quam cessionem, seu purificationis permissionem idem Livius Dux sub consideratione, quod locus pius, ubi vix triginta pueri morabantur, in meliori forma continuari, & perpetuari posset, & inibi pauperes pueri in longe majori numero hactenus ad trecentos circiter ascendente, sub regimine, seu comprehensione in Hospitio Apostolico a Nobis, ut prefertur, fundato, donato, & instituto, educari, & ali valerent, mediante publico Instrumento per acta dilecti filii Joannis Petri de Carolis Notarii Capitolini die undecima prefati mensis Martii rogato, cum omnibus, & singulis bonis, juribus, membris, & pertinentiis prefati loci pia memorato Carolo Thoma constructi, & instituti, a Nobis acquisitum, aliqua ex parte ad absolutum habitationis usum redactum, & successive Deo dante ampliandum, una cum contigua vinea, seu horto, quam, seu quem interim emere curavimus, perpetuo concedimus, assignamus, & applicamus.

Transfertur Hospitium pauperum literatorum ad d. Hospitium invalidorum, & hinc illud assignatur.

§.7. Considerantes preterea, pauperes pueros literatos nuncupatos Domus, seu Hospitii a Leonardo Cerusio vulgo nuncupato Literato pie instituti, in via Curtus ejusdem Urbis prope Monasterium Sancti Sylvestri in Capite nuncu-

patum sitæ, seu siti, uti pueros victum sibi querere non valentes, nisi ratione corporis saltem ratione etatis, inter pauperes invalidos, & alios pueros Hospitio invalidorum receptos connumerari, adscribi, & reputari posse, ac propterea, ut sub eodem pauperum invalidorum gubernio, regimine, directione, & administratione nutrentur, regeantur, & educantur, arteque mechanicas, & presertim opificum, seu artem lanae quæ in dictis pauperum Literatorum nuncupatorum Domo, seu Hospitio non exercebantur, in prefato Hospitio Apostolico pauperum invalidorum dicerent, & apprehenderent consentaneum fuisse, & fore: propterea motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus Domum, seu Hospitium pauperum Literatorum nuncupatorum hujusmodi, necnon quamcumque Congregationem, & protectionem per quoscumque Romanos Pontifices predecessores nostros super eadem Domo, seu eodem Hospitio puerorum pauperum Literatorum nuncupatorum hujusmodi, illiusque bonorum, fructuum, reddituum, ac proventuum administratione, aut ipsius Domus, seu Hospitii eorumdem pauperum Literatorum hujusmodi directione quomodolibet constitutam, & deputatam, necnon quamcumque administrationem, & directionem penes quamcumque personam quavis auctoritate, dignitate, aut preeminencia, ac etiam Cardinalatus honore fulgentem, seu penes quoscumque Administratores, & Deputatos quovis nomine, & titulo existentes, Apostolica auctoritate perpetuo suppressimus, & extinctimus, omniaque, & singula Domus, seu Hospitii puerorum pauperum Literatorum nuncupatorum hujusmodi sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti res, bona, Ecclesiam, seu Capellam, non tamen collativam, membra, Domos, dependentias, jura, privilegia, prerogativas, honores, & onera, necnon quoscumque redditus, & proventus, obventiones, & emolumenta in quibuscumque rebus consentientia, & undecumque provenientia, ac pertinentias universas, predicto Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ita quod pueri pauperes Literati nuncupati d. Domus, seu dicti Hospitii sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti, & dicto Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, ut infra aggregata, seu aggregati, non amplius sub eorum, & dicte Domus, seu Hospitii sic suppressæ, & extinctæ, seu suppressi, & extincti denominatione, instituto, ac Regulis, vel Statutis, seu Ordinationibus, sed in omnibus, & per omnia sub dicti Hospitii Apostolici per Nos, ut prefertur, erecti, nomine, instituto, Regulis, Statutis, & Ordinationibus educantur, dirigerentur, & viverent, cum amplissimis facultatibus, clausulis, cautelis, Decretis, & derogationibus latissime extensis Apostolica auctoritate motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine similibus perpetuo assignavimus, applicavimus, & appropriavimus, & respective aggregavimus, & incorporavimus, & alias prout in nostris Motus proprii Cedula sub datum quinto Idus dicti mensis Februarii uberius continetur.

§.8. Perpendentes etiam, nostram, & prefati Sixti predecessoris intentionem unam, & eandem fuisse, tollendi nimirum mendicationem ab Urbe predicta, & vere mendicis subveniendi, ideo-

Unitur Hospitale Mendicorum d. Hospitio Invalidorum.

ideoque ut pariter unum, idemque opus pium constituitur, & sit, ac una, eademque Congregatione administraretur, & gubernetur, iidemque Regulis, & Institutis regatur, & dirigatur, illius feliciori progressui, & salubriori incremento consentaneum esse, & fore; propterea Motu, scientia, deliberatione, & potestatis plenitudine paribus prefatum mendicorum ab eodem Sixto predecessore per ejus quinto idus Maji Anno Incarnationis Dominicæ millesimo quingentesimo octogesimo septimo, & Pontificatus sui tertio, & octavo idus Septembris anno prefate Incarnationis millesimo quingentesimo octavo, & ejusdem Pontificatus quarto, expeditas Literas, fundatum, erectum, dotatum, & institutum, omniaque, & singula ejusdem Hospitalis mendicorum ædificia, Ecclesiam, Capellanias inibi erectas, seu existentes, res, bona, & jura quæcumque, etiam patronatus, seu presentandi, vel nominandi, membra, Domos, dependentias, privilegia, prerogativas, honores, & onera, necnon quoscumque redditus, proventus, obventiones, & emolumenta quæcumque in quibusvis rebus consentientia, undecumque provenientia, & pertinentias universas quocumque nomine nuncupatas, etiam speciali, & individua nota dignas memorato Hospitio Apostolico pauperum invalidorum, sive ejus Congregationi, ejusque Rectoribus, Administratores, & Deputatis corporalem, realem, & actualem possessionem prefatorum dicti Hospitalis Mendicorum Edificiorum, Ecclesie, Capellaniarum, rerum, bonorum, & jurium quorumcumque, membrorum, Domorum, dependentiarum, reddituum, proventuum, obventionum, & emolumentorum quorumcumque, & pertinentiarum universarum, omniumque aliorum, ut prefertur, expressorum, per se, vel alium, seu alios propria auctoritate libere apprehendere, & apprehensam perpetuo retinere, illaque locare, dislocare, arrendare, percipere, exigere, levare, & recuperare, & de eisdem libere disporre, illorumque omnium, & singulorum supradictorum fructus, redditus, & proventus, jura, obventiones, & emolumenta quæcumque in dicti Hospitii Apostolici pauperum invalidorum ad formam presentium constituti, & confirmati, & mediante prefati Hospitalis mendicorum, unione ampliati, in proprios usus, & utilitatem convertere, cujusvis licentia desuper minime requisita, ita etiam quod pauperes utriusque sexus dicti Hospitalis mendicorum per presentes uniti, sub prefati Hospitii pauperum invalidorum per Nos, ut prefertur, erecti, & mediante hujusmodi unione ampliati, seu in unum, redacti, instituto, Regulis, Statutis, & Ordinationibus in omnibus, & per omnia alantur, dirigantur, gubernentur, & vivant, earumdem tenore presentium perpetuo, amplissime, & plenissime, & irrevocabiliter, omnibusque meliori, validiori, & efficaciori modo unimus, assignamus, applicamus, appropriamus, aggregamus, & incorporamus, ac unum, idemque Hospitium opusque pium constitutum, & facimus. Cumque prefatus Sixtus predecessor Hospitalis predictum mendicorum, ut prefertur, unitum, in dictis prioribus ejus Literis per quatuor viros Clericos, aut Laicos idoneos, & probatos, duos nimirum a Populo Romano in publico Consilio, & reliquos duos a Confratribus Archiconfrater-

nitatis Sanctissimæ Trinitatis convalescentium, & peregrinorum, annis singulis eligendos, & deputandos, regendum, administrandum, & gubernandum statuerint necnon Camera Apostolicæ Thesaurarium, & Commissarium Generales tunc, & pro tempore existentes, ut una cum prefatis quatuor Administratoribus, seu deputatis salubri regimini, directioni, & conservationi prefati Hospitalis pauperum mendicorum, illiusque Officialium, Ministrorum, bonorum, & jurium cum facultatibus inibi expressis deputaverit, propterea unam, eandemque Congregationem utriusque loci, seu unius, ejusdemque operis pii insimul incorporati, & in unum Hospitium pauperum invalidorum, ut prefertur, redacti, constituere volentes, infra scriptæ Congregationi pro Hospitio pauperum invalidorum constitutæ prefatos Thesaurarium, & Commissarium Generales nunc, & pro tempore existentes, & quatuor viros a dicto Sixto predecessore pro regimine, administratione, & gubernio dicti Hospitalis pauperum mendicorum Deputatos, ut prefertur, deputandos, addimus, aggregamus, unimus, & incorporamus.

§.9. Volentes, & mandantes, quod omnes pauperes utriusque sexus, & tam Viri, & Mulieres, quam pueri, & puella, licet juxta presentem statum locali prefatorum Palatii Lateranensis, loci ad Pontem Sixtum, & alterius loci ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, habitatione distincti, & licet etiam aliter in posterum quoad locum, & modum habitationis distinguerentur, seu immutarentur, semper tamen unum, & integrale Hospitium Apostolicum pauperum invalidorum, idemque opus pium constituant, quod ab una eademque Congregatione gubernetur, & sub iidem fundatione, erectione, dotatione, instituto, & quibuscumque desuper jam statutis, & concessis, ac statutis, & concedendis Regulis, Ordinationibus, gratiis, & privilegiis comprehendatur.

§.10. Ne autem pii hujus operis finis, qui alias fuit, & nunc est semper unus, & idem, mendicationem ab Urbe prefata, quoad fieri potest, arcendi, & vere pauperibus, qui nullum, vel saltem non sufficientem victum propriis labore, & industria, ut prefertur, sibi quærere non valent, amplius, vel in sui initio deficiat, prout prefatis Romanis Pontificibus, & precipue Pio IV., & Gregorio XIII. qui certos redditus non constituerant, evenit, vel in sui progressu, desiderio hujusmodi, saltem plenario, destituitur effectu, prout in prefato Hospitali Mendicorum a dicto Sixto predecessore, qui illud fundavit, & erexit, ac certos quidem, sed omnium mendicorum sustentationi longe impares redditus assignavit, decrevimus prefatum Hospitium invalidorum valde majori dote partim ex bonis, seu redditibus prefatorum Hospitii, seu Domus puerorum Literatorum olim nuncupatorum, necnon Hospitalis Mendicorum, ut prefertur, unitorum, plerumque vero ex bonis, juribus, & redditibus per Nos, ut infra assignatis, constabillire. Redditus autem, qui ex bonis, & juribus dicte Domus, & Hospitii puerorum Literatorum olim nuncupatorum percipiuntur, ultra valorem ædificii, seu Domus, ubi illi habitabant, ascendunt ad annua scuta mille octingenta circiter, qui autem ex bonis, & juribus dicti Hospitalis mendicorum percipiuntur,

Palatium Lateranense Edificii S. Michaelis, & Hospitalis Mendicorum uniti Hospitii Invalidorum constituantur.

Assignatur Dos superabundans dicti Hospitii Invalidorum, videlicet.

Ex Hospitio puerorum Literatorum.

Ex Hospitali Mendicorum percipiuntur.



Et Romana Ecclesia Cardinalium (firmo tamen quoad eorundem Cardinalium Caudatarios remanente Decreto moderatorio Sac. Congregationis Emorum Cardinalium Sacri Concilii Tridentini interpretum die 19. Augusti 1690. edito) esse revocanda, & expedire, quod in posterum non concedantur.

Unum reformatur.

§.3. Indultum inserviens Secretariæ Congregationis Emorum Cardinalium Consultationibus negotiorum Ditionis temporalis ejusdem S.R.E. præpositorum concessum esse reformandum, & in posterum restringendum ad illos dies, & horas dumtaxat, quibus ratione hujusmodi servitii actualiter præstandi impeditus fuerit, ejus conscientia desuper strictissime onerata.

Aliud ad tempus conceditur.

§.4. Indulta causa studii pro lucrandis fructibus dumtaxat, nec aliter pro lucrandis distributionibus quotidianis esse concedenda, quam pro Ecclesiis, quarum redditus consistunt, vel in solis distributionibus quotidianis, vel in isdem distributionibus unacum aliquibus fructibus tenus præbendæ, dempta tamen tertia parte, quæ interessentibus accrescat, nec pariter concedenda ultra triennium, neque majoribus viginti quinque annis, quinimo hujusmodi ætate vigin-tiquinque annorum excepta, eadem Indulta, licet idem triennium adhuc expletum non fuerit, expirare.

Reliqua sine abusu conceduntur.

§.5. Omnes denique habentes Indulta pro singulis diebus, & horis, quibus ratione servitii in eorum muneribus, seu Officiis actualiter præstandi impediti fuerint, adhuc esse punctandos, toties, quoties Ecclesiæ, seu Choro non interfuerint, sed in qualibet hebdomada hujusmodi puncta posse, & debere deleri, seu tolli pro illis tantum diebus, & horis, quibus Indultarii allegaverint particularia impedimenta ratione eorum munerum, eorum conscientia desuper strictissime onerata, & circa hujusmodi impedimentorum relevantiam judicio proprii Vicarii cujuslibet Ecclesiæ; in Ecclesiis vero, ubi non adest hujusmodi Vicarius, judicio dignioris Canonici esse deferendum.

Confirmatio predictorum omnium.

§.6. Facta per me infra scriptum hac die 8. Maji 1693. relatione prædictarum resolutionum SSmo D. Nostro, Sanctitas Sua illa approbavit, & a die prima Junii proxime venturi mandavit inviolabiliter observari, Indultis tam a se, quam a Romanis Pontificibus prædecessoribus suis quomodolibet concessis, & aliis contrariis quibuscunque non obstantibus, quibus pro observatione præmissorum amplissime derogavit,

Die 23. Maji 1693. Supradictum Decretum affixum, & publicatum fuit ad Valvas Ecclesiæ Sanctæ Joannis Lateranensis, Basilicæ Principis Apostolorum, & Cancellariæ Apostolicæ, in Acie Campi Floræ, ac in aliis locis solitis, & consuetis Orbis per me Franciscum Antonium Simonellum Sanctissimi D. Nostri Papæ Cursorem.

L I X.

Die 27 Junii 1693. An. 2.

Conceduntur Ordini Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum omnia Privilegia, & Indulgentiæ aliorum Ordinum, & Religionum.

Eadem Privilegia concessa fuerunt Discalceatis ab Urb. VIII, Const. ed. 1634. Mar. 26, P. 11. Et

hujus Pontificis Const. ed. 1695. Apr. 23, P. 4. extat facultas eligendi sibi Conservatores.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

§.1. Alvatoris, & Domini Nostri Jesu Christi, qui pro humani generis Redemptione se ipsum exinanivit factus obediens usque ad mortem vices licet immeriti gerentes in Terris, Religiosos viros Divinis obsequiis, ac charitatis, & misericordiarum operibus, præsertim vero Christianissimum Captivorum Redemptioni vacantes, pastoralis benignitate complectimur, utque eadem opera alacrius continent, & utilius exequantur, gratis, & favoribus, quibus possumus, amplissimis confovemus, prout conspiciamus in Domino salubriter expedire.

Exordium.

§.1. Cum itaque, sicut dilectus filius Felix Pantaleo Procurator Generalis Ordinis Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum Nobis nuper exponi fecit, Fratres, & Religiosi ejusdem Ordinis in Captivorum Redemptionis gravissima quæque discrimina, & pericula ad id subeundo, pro viribus occupentur, ac ut ad tam pii operis exercitium promptiores in dies reddantur, plurimum cupiant aliarum Religionum, & Ordinum gratias, & privilegia a Sede Apostolica concessa, quæ fel. rec. Urbanus PP. VIII. Prædecessor noster per quadam suas sub plumbo Anno Incarnationis Domini cæ 1634. Quinto Kal. Aprilis Pontificatus sui Anno XI. expeditas Literas Congregationi Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis concessit, & communicavit, Ordini prædicto, illiusque Fratribus, & locis per Nos, & Sedem eandem pariter concedi, & communicari. Nos propterea idem Felix Procurator Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

Causæ d. C. concessionis Discalceatis ejusdem Ordinis olim factæ.

Preces Procuratoris Generalis.

§.2. Nos igitur Ordinem prædictum, ex quo uberrimi fructus in Ecclesia Dei ad illius laudem, & Christianæ Reipublicæ, necnon fidelium Captivorum commodum, & utilitatem in dies proveniunt, firmissimis prædictis vallare desiderantes ipsumque Felicem Procuratorem Generalem, & singulares Ordinis hujus personas a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & pœnis a Jure vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innodate existunt, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum harum serie absolventes, & absolutas fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum nostrorum, S. R. E. Cardinalium negotiis, & consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, & attenta relatione Venerabilis Fratris nostri Alderani Episcopi Ostien. ejusdem S. R. E. Cardinalis Cybo nuncupati Ordinis supradicti apud Nos, & Sedem prædictam Protectoris super præmissis eidem Cardinalibus facta, eidem Ordini Fratrum Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, & Regularibus locis sub illo comprehensis, necnon Superiori Generali pro tempore existenti, Diffinitoribus, & Procuratoribus Generalibus, Visitatori, Consultoribus, Assessoribus, Superioribusque Provincialibus, & Conventualibus, aliisque

Concessio amplissima dd. privilegiorum, & Indulgentiarum.

que cujuscunque nominis Officialibus, Superioribus, ac Religiosis omnibus, & singulis in eo professis, Fratris pro tempore ad captivos redimendos transmissis, & Capitulis Generalibus, personis Regularibus, Novitis, Conventibus, Donatis, Oblatis, Ministris, familiis, cunctisque tam Officiariis, tam domesticis, & eorum Domibus inservientibus, & cæteris dicti Ordinis, ac illius Domorum, & Regularium locorum personis quibuscumque pro tempore existentibus, necnon quibusvis aliis personis, ac Christianissimis illorum Ecclesiis, seu Capellis pro tempore visitantibus, ut omnibus, & singulis privilegiis, libertatibus, immunitatibus, exemptionibus, præminentibus, antelationibus, concessionibus, indultis, & favoribus, Indulgentiis, aliisque prærogativis, & gratiis universis, & singulis tam spiritalibus, quam temporalibus singulis Domibus, Conventibus, & aliis Regularibus locis, ac personis tam Canonicorum, quam Clericorum Regularium ubi vis existentium institutus, & non solum Ordinibus Monasticis, Regularibus mendicantium, & non mendicantium tam pro redimendis Captivis, quam alias quomodolibet eidem Congregationi Fratrum Discalceatorum dicti Ordinis Sanctissimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum, illiusque Domibus, Conventibus, & Fratribus, necnon Ordini Beate Mariæ de Mercede Redemptionis Captivorum, sed etiam aliis Congregationibus Regularibus, & præcipue Clericorum Regularium Infirmis ministrantium, & Canonicorum Congregationis Lateranensis, Sanctissimi Salvatoris de Bononia, ac etiam Sancti Ruffi Valentie, & Sanctæ Crucis Colymbiæ, Clericorum Regularium de Somaſcha, & Pauperum Matris Dei, ac Scholarum piarum, ipsique Monasticis Congregationibus, etiam Casinensibus, Monachis, & Monasteriis S. Benedicti, S. Hieronymi, Carmelitis Discalceatis, Conventui Beate Mariæ de Guadalupe, necnon Societati Jesu, ipsique Carthusiensium, Præmonstratentium, & Reformatorum Cisterciensium, Servitatum, Olivetanorum Ordinum, aliisque familiis, & Societatibus Regularibus, militibus, Hospitalibus quibuscumque, & piis locis Regularibus, ac quibuscumque personis nunc, & pro tempore existentibus præfatorum, & quorumlibet Ordinum, Societatum, & Congregationum Regularium per Nos, & Sedem prædictam, ac alios quoscunque prædecessores nostros Romanos Pontifices, necnon ejusdem S. R. E. Cardinales, etiam de Latere-Legatos, & quovis Sedis prædictæ Nuncios, vel etiam tam Apostolica prædicta, quam ordinaria, & Regia, vel Imperiali auctoritatibus respective, aut alias quomodolibet quibuscumque verborum exprellionibus, & tenoribus, in genere, vel in specie, ac particulariter, tam per modum communicationis, & ampliationis, quam simplicis, & individuae, ac particularis, & specialis concessionis, ac etiam Motu proprio, & ex certa scientia, & de Apostolica potestatis plenitudine etiam iteratis vicibus concessis hæctenus, vel confirmatis, aut approbatis, & quibus illi tam in vita, quam in mortis articulo, etiam circa peccatorum remissiones, & injunctarum poenitentiarum relaxationes, aut alias quomodolibet de jure, usu, & privilegio, vel consuetudine quomodolibet utuntur, fruuntur, potiuntur, & gaudent, ac uti, frui,

potiri, & gaudere possunt, & poterunt quomodolibet in futurum, quamvis illa sint specialia nota digna, difficilisque concessionis, & quæ in generali concessione non veniunt, non solum per participationem, & communicationem, illorum extensionem, & ad illorum instar, sed speciatim, & nominatim, pariformiter, & æque principaliter in omnibus, & per omnia absque ulla proferenda differentia, proinde, ac si illa primodicti Ordini, illiusque Capitulis Generalibus, Superiori Generali pro tempore existenti, illiusque Superioribus, & personis prædictis specialiter, & expresse nominatis, etiam per viam, & modum simplicis, & individuae, ac particularis, & specialis concessionis, etiam Motu proprio, & ex certa scientia, ac de Apostolica potestatis plenitudine, aut communicationis, & ampliationis concessa fuissent, quatenus tamen sint in usu, & non revocata, nec sub aliquibus revocationibus comprehensa, nec Sacris Canonibus, aut Decretis Concilii Tridentini contraria, uti, frui, potiri, & gaudere libere, & licite possint, & valeant: ita quod omnes, & singuli primodicti Ordinis, & illius Domorum, locorumque Regularium, Superiores, & Ministri quocunque nomine appellati eosdem favores, gratias Apostolicas, & privilegia, quæ aliarum Religionum, Ordinum, Congregationum, Societatum, etiam Jesu, Monasteriorum, Conventuum, Domorum, aut locorum regularium, & familiarum Generales Superiores, Præpositi, Provinciales, Rectores, Priores Conventuales, aut claustrales, Visitatores, Guardiani, Custodes, aut alio quocunque nomine, titulo, aut dignitate insigniti habent, similiter, ut supra habeant; Fratresque, & Personæ Regulares prædicti Ordinis, Generales, Superiores, Ministri, & cæteri alii cujuscunque appellationis Præpositi, & Præfecti in Ordine hujusmodi expresse professi, & in ejus gremio, & observantia viventes, Fratres, & personæ Regulares primodicti Ordinis cum privilegiis, gratiis, & favoribus Apostolicis Ordinum, & Congregationum hujusmodi perpetuo secundum observantiam regularem, & Canonicam, Institutum dicti corum Ordinis SSimæ Trinitatis Redemptionis Captivorum regere, & gubernare, & respective visitare valeant, neque dictus Ordo super præfatis omnibus, & singulis a quocunque quavis auctoritate, vel nomine molestari, perturbari, inquietari, aut alias quomodolibet in judicio, & extra impediri possit, Apostolica auctoritate tenore præsentium perpetuo concedimus, & indulgemus.

Clausula.

§.3. Decernentes easdem præfatas Literas semper, & perpetuo tanquam ad Divini, cultus, & bonorum operum augmentam, & Religionis propagationem tendentes, validas, & efficaces esse, & fore, suosque plenarios, & integros effectus fortiri, & obtinere, ac ab omnibus, & singulis firmiter, atque inviolabiliter observari, & adimpleri debere, nec ab illis ullo unquam tempore quovis prætextu, occasione, vel causa recedi, aut resiliari, easdemque præfatas sub quibusvis similibus, aut dissimilibus gratiarum revocationibus, suspensionibus, limitationibus, derogationibus, & aliis contrariis dispositionibus, etiam per Nos, & Successores nostros Romanos Pontifices pro tempore existentes, sedemque prædictam sub quibusvis tenoribus, & formis, ac cum quibusvis Clausulis, & Decretis pro tem-



pore factis minime comprehendi, vel confundi...

§.4. Non obstantibus premissis, ac quibusvis Apostolicis, ac in Synodalibus, Provincialibusque...

§.5. Volumus autem, quod ipsarum presentium Literarum transumptis, seu exemplis...

Datum Romae apud S. Mariam Maiorem sub Annulo Pisc. die XXVII. Junii MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

L X.

Confirmatur, & innovatur erectio Hospitalii Apostolici Pauperum invalidorum de Urbe cum nonnullis Ordinationibus, & Indulgentiis Plen. Perp.

Inn. XI. Const. ed. 1686, Apr. 22, P. 10 confirmata fuit erectio Hospitalii venientium ad fidem. Et hujus Pontificis Const. ed. 1693, Aug. 28, P. 3. extenditur quoddam privilegium Hospitalis Mendicorum de Urbe.

INNOCENTIUS EPISCOPUS SERVUS SERVORUM DEI,

Ad perpetuam rei memoriam.

Ad exercitium pietatis habentis juxta Apostolum promissionem vitae, quae nunc est

Exordium a charitatis officio petendum.

pariter, ut futura, & praesertim hospitalitatis, cuius studio intenti quandoque Angelos ipsos exceperunt hospitio, mentis nostrae oculos sedula meditatione convertentes, ut extrema pauperum invalidorum Almae Urbis nostrae mendicitati consulamus, voce Domini illa per Prophetam dicentis commonemur: Frange esurienti panem, & egenos, vagosque induc in Domum tuam: mandato itidem illo, quod Deus suo Populo electo per Moysen injunxit, excitamur: Omnino indigens, & mendicus non erit inter vos: magno demum timore corripimur, dum animo interim perpendimus tremendum novissimae discussionis examen, in quo filius hominis, cum in Sede Majestatis advenerit, singula in pauperes pietatis, & charitatis opera sibi ipsi facta, aut abnegata rependet, illaque electis, qui ea exercuerunt, memorabit comiter ad sempiternam retributionem, & gloriam, reprobis autem qui ea abnegarunt, exprobrabit acriter ad aeternam perditionem, & poenam.

§.1. Sane licet fel. rec. Sixtus Papa V. praedecessor noster providere sategerit, ne ulterius Mendici per Urbem praefatam dispersi, & vagantes victum quaererent, indeque, ut eorumdem animae simul, & corporis saluti consuleret, Domum Hospitali ad mendicos hujusmodi utriusque sexus excipiendos, alendos, & vestiendos prope Pontem Sixtum nuncupatam ad Tyberis Ripam fundaverit, crexerit, insisterit, & dotaverit: quin in Urbe praefata quamplura alia, & quidem ditissima existant Hospitalia, Confraternitates, Conservatoria, loca, & opera pia pro variis pauperum subventionibus instituta, ac valde considerabiles, & in dies excrecentes elemosynae per Romanos Pontifices praedecessores nostros, & Nos pariter dispensari consueverunt, & soleant: nihilominus provida, & pia simul ejusdem Sixti praedecessoris intentio tum propter Domum praefatam alioquin ample, sed omnes mendicos non capientis, tum propter Dotis alioquin considerabilis, sed omnium mendicorum sustentationi imparis, insufficientiam; tum propter praefati Hospitalis, vel instituti, vel usum recipiendi, & alendi dumtaxat Viros, & Mulieres, non autem pueros, & puellas, nec pauperibus extra illud commorantibus subveniendi, praemeditatum tollendae mendicationis effectum fortiri non valuit, immenso adhuc eorum superexistente numero, qui vel revera pauperes, & corpore, aut aetate invalidi, per se, aut per alios victum sibi quaerere non valentes, vel paupertatem, aut invaliditatem simulantes, vel utcumque perse, aut ab aliis ad id obligatis victum quaerere non curantes, nedum per eandem Urbem mendicabant sed in ipsis etiam Ecclesiis, in quibus ut plurimum reverentia erga Dei Domum, & Sanctissimum Eucharistiae etiam expositum Sacramentum immemores ejulationibus, querimoniis, & importunis petitionibus fideles precibus, Sacrificio Missae, & Divinis Officiis intentos, distrahebant, quin nonnulli crapulae, & vitiiis dediti, flagitiosam vitam agebant, filiosque similibus moribus imbutos educabant, ac vagi, certumque domicilium, & exinde proprium Parochum non habentes, nulliusque censurae subiecti, quandoque etiam Sacramentis Ecclesiae contra ejus praeccepta refici, seu communiri impune negligebant.

§.2. Cupientes itaque pium, & salutare opus alias

In urbe varia erant loca, opera pia, & elemosynae pro mendicis.

Causae erectionis d. Hospitalii.

Erectio d. Hospitalii a Pio IV. & Greg. XIII. inchoati

alias a nonnullis Romanis Pontificibus praedecessoribus nostris, & praecipue rec. mem. Pio IV., Gregorio XIII. inchoatum, semper tamen, ex eo quod illi certos redditus pro alimentis pauperum non assignaverant, irrito conatu dimissum, & ab eodem Sixto praedecessore constitutum, quidem, sed plenario, ut praefertur, desitutum effectu, ampliare, & quantum Nobis ex alto conceditur, perficere, quo possimus Ecclesiarum reverentiae consulere, animarum saluti prospicere, vere pauperibus invalidis subvenire, paupertatem, & invaliditatem simulantium, fraudibus obviare, quorumcumque otiose vivere eligentium desidia occurrere, ac salubriori ejusdem Urbis regimini providere; vagos hujusmodi, & mendicantes omnes revera pauperes, & corpore, vel aetate invalidos, sibi quae propriis labore, & industria victum quaerere non valentes, nec a quibus alii deberent, & possint, habentes, viros nimirum, Mulieres, & puellas in Lateranense nostrorum Palatium: pueros vero in locum, seu aedificium ad Tyberis Ripam magnam nuncupatam, sub invocatione Sancti Michaelis haftenus constructum, induximus, dictumque Palatium congrua suppellestile, ac necessariis, & opportunis utensilibus, & mobilibus non mediocri sumptu comparatis, sufficienter instruximus, parique sumptu tali structura distinximus, ut Viri a Mulieribus, & puellis in discretis, & propriis cujuslibet sexus Refectoriis, mansionibus, porticibus, atris, Cellis, Officiis, ingressibus, & scholis, ac in omnibus prorsus sejuncti, & separati commorari interim potuerint, & in posterum possint. Et ne conjugati, quos, seu quorum alterum hujusmodi paupertas, & invaliditas mendicare coegerant, subventionis nostrae remaneret expertes iidem, licet extra Hospitalium praefatum commorantibus, alicujus elemosynae subsidio, seu distributione providimus.

Confirmatio, & innovatio erectionis praefati Hospitalii.

§.3. Hinc est, ut ea, quae Domino bonorum omnium Auctore inspirante, ad ejus majorem gloriam, proximique tum spiritualem, tum corporalem salutem, & aedificationem inceperimus, eodem incrementum dante, ad illam saltem, cui Camerae nostrae Apostolicae variis necessitatibus pressae, exiguae vires suppeteret haftenus valuerunt, formam, substantiam, & perfectionem reducamus, majorique quo possimus, commissa Nobis divinitus auctoritatis munimine constabilimus, ac propterea ne desinenscriptis Hospitalii erectione, fundatione, dotatione, instituto, ordinatione, gratiis, donationibus, & unionibus, earumque varietate, tenore, validitate, substantia, perpetuitate, irrevocabilitate, & immutabilitate ullo unquam tempore, ullo jure, ullo modo, via, seu praetextu dubitari possit, seu contingat, Motu proprio, ex certa scientia, & matura deliberatione nostris, deque Apostolica potestatis plenitudine Hospitalium Apostolicum Pauperum invalidorum tenore praesentium perpetuo erigimus, fundamus, & constituimus, seu illud a Nobis jam inceptum, fundatum, & constitutum perpetuo approbamus, confirmamus, & innovamus, ac hujusmodi erectioni, fundationi, & constitutioni perpetuae, inviolabilis, & irrefragabilis Apostolicae firmitatis robor, & efficaciam adijcimus.

§.4. Pro hujusmodi autem pauperum invalidorum, virosum nimirum, & Mulierum, nec-

non Puellarum habitatio Palatium Apostolicum primariae nostrae Ecclesiae Lateranensis ex uno latere coharens, situmque in platea, seu plateis pariter Lateranensibus nuncupatis olim a memorato Sixto praedecessore pro habitatione Romanorum Pontificum, qui nibilo minus subsequuto centum, & ultra annorum intervallo inibi non habitavit, ampla, & nobili structura olim aedificatum, jamdiu tamen, & praesertim nuper magna, & prompta reparatione in pluribus ejus partibus etiam ruinam minantibus indigens, & propterea aliquarum contignationum jam collapsarum innovatione, nonnullorum laquearum, fornicum, & murorum pene collabentium solidatione, & restauratione, plurimarum lignearum tum portarum, tum fenestrarum refectione, aliisque necessariis, & opportunis reparationibus a Nobis multifariam, magnisque impensis fulcitam, solidatam, & infrastructam, necnon ad praefatum Hospitalium usum satis commode reductum, illudque licet a pia memoria Paulo PP. V. etiam praedecessore nostro per suas in forma Brevis die octava Januarii Pontificatus sui Anno quarto expeditas Literas, Archiepiscopo Petro, Capitulo, & Canonicis memoratae Ecclesiae pro eorumdem Canonicorum habitatione perpetuo donatum, ab iisdem tamen non habitatum, illisque scientibus, & consentientibus a Camera Apostolica jamdiu reassumptum, & in varios stationis Militum Laemocomii, seu Nosocomii tempore pestis, & ut plurimum horrei ad reponendum, & conservandum Annonae frumentum, aliosque similes usus reductum, quin ab ipsis etiam pauperibus, qui inibi extreme caritatis tempore alebantur, quandoque habitatum, & nihilominus ad majorem cautelam, & quatenus opus esset a Venerabili Fratre nostro Flavio Episcopo Portuensi S.R.E. Cardinali Chiso nuncupato moderno Archiepiscopo, ac a dilectis filiis Capitulo, & Canonicis dictae Ecclesiae per acta Ludovici Martoli Notarii publici Curiae dilecti filii nostri in Urbe Vicarii in spiritualibus Generalis, die prima Martii proxime praeteriti retrodonatum, & restitutum, destinamus, assignamus, stabilimus, & constituimus, ad quem effectum nostro sub die quinta Februarii pariter proximae praeteriti desuper confecto, & per Nos signato Chirographo, ac instrumento in ejus executionem mediante dilecto filio Josepho Paravicino nostro, & Camerae praefatae Theaurario Generali per dilectum filium Petrum Palmerium dictae Camerae Secretarium die vigesima tertia ejusdem mensis Februarii rogato, Palatium hujusmodi cum omnibus, & lingulis ejus juribus, membris, pertinentiis, usibus, & commoditatibus, exceptis tamen ad usum Pontificalem functionum, & benedictionum reservatis Xysto ad eandem benedictionem extracto, & modica ejusdem Palatii parte, juxta delineationem in praefato Instrumento insertam, eidem Hospitalio libere, gratis, & perpetuo donavimus, & assignavimus.

§.5. Quadam etiam nostra Motus proprii cedula sub dato quinto idus dicti mensis Februarii quemdam hortum ad dictam Ecclesiam Salvatoris, seu S. Joannis in Laterano nuncupatam, seu ejus mensam Capitularum, aut ejusdem Capituli massam minutam itidem nuncupatam, spectantem, prope dictam Ecclesiam, mansiones Canonicales, & alios fines, necnon quam-

rea destinatus, tandem invalidis viris, Mulieribus, & puellis conceditur.

Concessio cuiusdam hortus, & domus in Laterano eidem Hospitalio.



respective inviolabiliter, & inconcusse observari, & adimpleri: Sicque, & non aliter in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & Delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores, ac S. R. E. prædictæ Cardinales, etiam de Latere Legatos, & alios quoslibet quacumque præeminentia, & potestate fungentes, & functuros, sublati eis, & eorum cuilibet quavis aliter judicandi, & interpretandi facultate, & auctoritate judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane, si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.3. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon eorumdem Congregationis, & Provinciarum, aliisque quibusvis etiam juramento, confirmatione Apostolica, vel quavis firmitate alia roboratis Statutis, & consuetudinibus, etiam immemorabilibus; Privilegiis quoque, Indultis, & Literis Apostolicis, eisdem Congregationi, & Provinciis, earumque Superioribus, & personis quibusvis sub quibuscumque verborum tenoribus, & formis, ac cum quibusvis etiam derogatoriis derogatoriis, aliisque efficacioribus, efficacissimis, & insolitis clausulis, & Decretis in genere, vel in specie, etiam consistorialiter, & alias quomodolibet in contrarium præmissorum concessis, confirmatis, ac pluries approbatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, etiam si pro illorum sufficienti derogatione de illis, eorumque totis tenoribus specialis, specifica, expressa, & individua, ac de verbo ad verbum, non autem per clausulas generales idem importantes mentio, seu quævis alia expressio habenda, aut aliqua alia exquisita forma ad hoc servanda foret, illorum omnium, & singulorum tenores, formas, causas, & occasiones præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, insertis, servatis, & specificatis respective habentes illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, & derogatum esse volumus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.4. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis, etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud ubique locorum habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud S. Mariam Majorem, sub Annulo Pisc. die XIII. Maji MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Secundo.

LVI.

Mandatur omnibus ubique Terrarum recitatio Officii, & Missæ Conceptionis B. M. V. cum Octava.

Inn. XI. Const. 1679, Maji 26, P. 3. extat extensio Festi Patrocini B. M. V.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad perpetuam rei memoriam.

In excelsa Sedis Apostolicæ specula, meritis licet imparibus per ineffabilem Divinæ boni-

Exordium.

tatis abundantiam constituti, muneris nostri esse arbitramur, ut gloriosissimæ Virginis Dei Genetricis Mariæ cultum, & venerationem in terris, quantum Nobis ex alto conceditur augere jugiter satagamus.

§.1. Itaque pro singulari nostra erga eandem Beatissimam, atque Augustissimam Virginem Cæli Reginam devotione, necnon etiam piis, & enixis charissimi in Christo filii nostri Caroli Hispaniarum Regis Catholici supplicationibus Nobis per dilectum filium nobilem, virum modernum Ducem de Medina Cæli pro eodem Carolo Rege apud Nos, & Sedem præfatam Oratorem super hoc humiliter porrectis, benigne inclinati, ut Officium, & Missa Conceptionis ejusdem Beate Mariæ Virginis Immaculate cum Octava, & Lectioibus in Octavario Romano dudum a Congregatione tunc existentium Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalium Sacris Ritibus præpositorum approbato contentis, & a die Octava ad decimam quintam Decembris rite dispositis, quod jam pridem ex diversis ejusdem Sedis Indultis, seu Decretis in plerisque Christiani Orbis Provinciis, & Regnis recitari consuevit, ubique Terrarum in posterum ab omnibus, & singulis utriusque sexus Christifidelibus tam Secularibus, quam Regularibus, qui ad horas Canonicas teneantur, de præcepto recitetur, Apostolica auctoritate tenore præsentium mandamus, & decernimus.

§.2. Non obstantibus Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.3. Volumus autem, ut earumdem præsentium literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis, manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo personæ in Ecclesiastica dignitate constitutæ munitis, eadem prorsus fides tam in Judicio, quam extra illud adhibeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus, si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Piscatoris die XV. Maji MDCXCIII., Pontificatus nostri Anno Secundo.

LVII.

Conceditur Ordini S. Joannis Dei exemptio ab omnibus Processionibus.

Ab Urbano VIII. concessa fuerant huic Ordini Privilegia Clericorum Regum Ministrantium infirmis, inter quæ extat præfens exemptio, prout Constit. 1624, Jun. 20, P. 1.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Injuncti Nobis cælitus Pastoralis Officii sollicitudo Nos admonet, ut paternam Christifidelium Altissimi obsequiis sub suavi Religionis jugo mancipatorum, uberesque bonorum operum fructus, benedicente Domino, proferre jugiter satagentium curam gerentes, ne ipsi a salutariibus quibus juxta laudabilia eorum instituta continentur incumbunt Christianæ charitatis ministeriis nullatenus avertantur, quantum Nobis ex alto conceditur providere studeamus.

§.2. Ex-

Causa Mandati & preces Regis Catholici.

Mandati prædictum.

Clausula.

Dicto Ordini concessa fuerunt ab Urb. VIII. privilegia Clericorum Ministrantium infirmis.

Causa Constitutionis.

Preces Superioris Gen.

Concessio d. specialis gratiæ.

Clausula.

Exordium.

§.1. Exponi siquidem Nobis nuper fecit dilectus filius Superior Generalis Ordinis Fratrum Sancti Joannis Dei, quod tametsi dudum felic. rec. Urbanus VIII. Prædecessor Noster per quasdam suas in simili forma Brevis Literas omnia, & singula per Selem Apostolicam Congregationem Clericorum Regularium Ministrantium Infirmis eateus concessa, vel quæ in futurum concedi contingeret, privilegia, inter quæ illud præcipue recensetur, quod Clerici Regulares prædicti, ut liberius, magisque assidue agrotis operam navent, Processionibus etiam solemnibus interesse non tenentur, ad Ordinem supra dictum, & singula illius Monasteria, Domos, Hospitalia, & alia loca Regularia, illorumque Superiores, Prælatos, & quascumque Regulares personas perpetuo extenderit, illaque eis communicaverit, & de novo concesserit, ac suffragari voluerit; nihilominus Fratres prædicti a nonnullis Locorum Ordinariis Processionibus hujusmodi non sine gravi propriarum functionum impedimento, ac maximo pauperum Infirmorum, quibus jugiter assistere debent præjudicio interesse, easque comitari compelluntur, Nobis propterea dictus Superior Generalis humiliter supplicari fecit, ut in præmissis opportune providere, & ut infra indulgere de benignitate Apostolica dignaremur.

§.2. Nos igitur ejusdem Superioris Generalis votis hac in re, quantum cum Domino possumus, favorabiliter annuere volentes, eumque a quibusvis excommunicationis, suspensionis, & interdicti, aliisque Ecclesiasticis sententiis, censuris, & poenis a Jure, vel ab homine quavis occasione, vel causa latis, si quibus quomodolibet innotatus existit, ad effectum præsentium dumtaxat consequendum, harum serie absolventes, & absolutorum fore censentes, hujusmodi supplicationibus inclinati, de Venerabilium Fratrum Nostrorum S. R. E. Cardinalium negotiis, & Consultationibus Episcoporum, & Regularium præpositorum consilio, omnibus, & lingulis memorati Ordinis Sancti Joannis Dei Superioribus, Fratribus, & personis nunc, & pro tempore existentibus, ut ipsi de cætero, ne ab iis, quibus ad Infirmorum in ipsius Ordinis Hospitalibus degentium, subventionem, & utilitatem, sedulo vacent ministeriis distrahantur, Processionibus supra dictis quacumque ex causa de more, vel consuetudine, aut alias pro tempore faciendis, aut a quibusvis Ordinariis Locorum indicendis interesse minime teneantur, nec ad id alias quascumque personas quavis auctoritate, vel Superioritate fungentes, inviti, seu nolentes, cogi, vel compelli possint auctoritate Apostolica tenore præsentium ex integro, ac ex speciali gratia concedimus, & indulgemus.

§.3. Decernentes easdem præsentis Literas, semper firmas, validas, & efficaces existere, & fore, suosque plenarios, & integros effectus sortiri, & obtinere, ac illis, ad quos spectat, & pro tempore quancumque spectabit in omnibus, & per omnia plenissime suffragari, & ab eis respective inviolabiliter observari: sicque in præmissis per quoscumque Judices Ordinarios, & delegatos, etiam causarum Palatii Apostolici Auditores judicari, & definiti debere; ac irritum, & inane si secus super his a quoquam quavis auctoritate scienter, vel ignoranter contigerit attentari.

§.4. Non obstantibus præmissis, ac Constitutionibus, & Ordinationibus Apostolicis, necnon quatenus opus sit dicti Ordinis, aliisque quibusvis, etiam Juramento, confirmatione Apostolica, aut quavis firmitate alia roboratis statutis, & consuetudinibus; privilegiis quoque, indultis, & literis Apostolicis in contrarium præmissorum quomodolibet concessis, confirmatis, & innovatis. Quibus omnibus, & singulis, illorum tenores præsentibus pro plene, & sufficienter expressis, ac ad verbum insertis habentes, illis alias in suo robore permanentibus, ad præmissorum effectum hac vice dumtaxat specialiter, & expresse derogamus, cæterisque contrariis quibuscumque.

§.5. Volumus autem, ut earumdem præsentium Literarum transumptis, seu exemplis etiam impressis manu alicujus Notarii publici subscriptis, & sigillo alicujus personæ in dignitate Ecclesiastica constitutæ munitis, eadem prorsus fides ubique locorum tam in judicio, quam extra illud habeatur, quæ haberetur ipsi præsentibus si forent exhibitæ, vel ostensæ.

Datum Romæ apud Sanctam Mariam Majorem sub Annulo Pisc. die XX. Maji MDCXCIII. Pontificatus nostri Anno Secundo.

LVIII.

Confirmatur Decretum Congregationis particularis super reformatione Indultorum Canonici, & Beneficiatis Urbis concessorum.

Dat. 8. Maji 1693. An. 2.

INNOCENTIUS PAPA XII.

Ad futuram rei memoriam.

Sanctissimus Dominus noster Innocentius Papa XII., ad cujus notitiam pervenit, servitium Baillarum, & Collegiarum Urbis valde diminui propter Indulta concedi solita nonnullis illarum Canonicis, & Beneficiatis quocumque nomine nuncupatis, vel ratione munerum, quibus funguntur, vel causa studii, cum exemptione ab hujusmodi servitio, & cum privilegio lucrandi fructus, & distributiones etiam quotidianas, tamen iisdem Ecclesiis non interserviant, deputavit particularem Congregationem Eminentissimorum DD. Cardinalium Carpinci, Marefcotti, de Norfolk, Colloredi, & Panciatici, necnon Illustriorum DD. Sperelli, Altoviti, Pallavicini, & Sacripantis, qui ejusdem Congregationis Secretarius sit, ad effectum examinandi eadem Indulta, & proponendi illas moderationes, reformationes, revocationes, & considerationes, quæ de super opportune verè fuissent.

§.1. Quæ sane Congregatio in Palatio prædicti Eminentissimi Carpinci, ter coacta, nimirum sub diebus 13., & 20. Aprilis proxime præteriti, & 7. currentis mensis Maji censuit, si eidem Sanctissimo D. Nostro placuerit, hujusmodi Indulta quoad Nuncios Apostolicos, necnon intimos, & eidem Sanctissimo actu interservientes familiares, ac Subdatarium, & Cameræ Apostolicæ Commissarium non esse immutanda.

§.2. Quoad Governatores, & Vice-Legatos Provinciarum, Civitatum, & locorum Status Ecclesiastici, qui durante absentia nunquam possint Ecclesiis interesse, necnon Procuratorem Generalem Montium, ac Familiares San-

Causa institutionis & Decreti d. Congregationis.

Servantur omnino quædam Indulta.

Revocantur alia.



piuntur, ultra ædificium, quod adhuc pro habitatione pauperum deservit, ascendunt ad alia annua scuta decem milla circiter.

Ex fructibus Camerae.

§.11. Volentes itaque eidem Hospitio, ejusque perpetuæ subsistentiæ, & successivæ mantentioni, alterius majoris dotationis, seu subventionis ope consulere, iisdem motu, scientia, & potestatis plenitudine, centum milla scutorum monetæ Romanæ per Nos, ex eisdem Camera nostræ fructibus cumulata, ad effectum illa in tot locis montium distæ Camera non vacabilium, vel in bonis stabilibus, seu censibus ad nostrum, & Romanorum Pontificum successorum nostrorum arbitrium investigandi, prout nuper in censu annui redditus scutorum trium millium fuerunt investita, necnon Burgum Dorum in Oppido nostro Civitatis Vetule in loco vulgo nuncupato la Tenaglia, de mandato nostro hæcenus ædificatum, & in posterum cum eisdem Camera fructibus ædificandorum, cum omnibus, & singulis earum Juribus, membris, & pertinentiis. Item quicquid deductis omnibus Pœnitentiariæ nostræ oneribus, & expensis, ex emolumentis, juribus, fructibus, & obventionibus universis distæ Pœnitentiariæ, seu Majori Pœnitentiario nostro alias assignatis, & pro hac parte, seu summa alias reformatis, supererit, ascendens ad annua scuta similia quinque mille circiter. Itidemque alia annua scuta duo mille ex elemosynis dispensationum matrimonialium, quæ alioquin in pauperum subventionem integre erogantur, fixe, & invariabiliter detrahenda, pariterque illam partem minorum servitorum, quæ ante suppressionem venalitatibus Officiorum Cameralium dudum a Nobis factam, assignata erat in partem dotis, seu emolumentorum, vel reddituum Camera nostræ præfatæ Clericis Præfidentibus, ascendentem ad annua scuta duo mille circiter, Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum hujusmodi pure, libere, perpetuo, & irrevocabiliter, omni meliori modo donavimus, & assignavimus, prout in prædictis nostro die quinta dicti mensis Februarii desuper confecto, & per nos signato Chirographo, ac Instrumento in ejus executionem rogato uberius continetur. In quo quidem Chirographo ulterius volumus, & mandavimus, quod Domus, seu Archihospitalis Sancti Spiritus in Saxia nuncupatum de eadem Urbe, juxta oblationem ex ejus parte Nobis desuper factam, centum frumenti, & quinquaginta leguminum rubra ipsius Archihospitalis expensis ad Urbem præfatam transportata Hospitio prædicto Apostolico Pauperum invalidorum teneretur singulis annis contribuere.

Ex Oppido Civitatis Vetule.

Ex Pœnitentiariæ.

Ex Dispensationibus Matrimoniorum.

Ex Clericis Præfidentibus Camerae.

Ex Archihospitali S. Spiritus in Saxia.

Ex variis Officiis.

§.12. Per aliam insuper nostram Motus proprii cedulam sub Datum quinto Idus dicti mensis Februarii, unum Correctoriæ Archivi Romane Curie per suppressionem venalitatibus officii Auditoris Camerae Apostolicæ, illiusque restitutionem, & reunionem eidem Camera, seu Datarie Apostolicæ, aliudve Regestri Literarum Apostolicarum de non salariatis nuncupatum, & Scripturæ Literarum Apostolicarum non divinum, & aliud Sancti Pauli, & aliud Sancti Petri, atque aliud Pii respectively nuncupatum. Militum, necnon aliud Præfidentatus Annonæ, ac reliquum Portionis Ripæ officia per obitum respectively, sic vacantia, cum omnibus, & singulis illorum honoribus, oneribus, salariis,

Juribus, & emolumentis solitis, & consuetis, tam ordinariis, quam extraordinariis, certisque, & incertis, etiam ex Congregationibus, præfentis, & officiatibus, ac alias undecumque, ac quomodocumque provenientia, cum facultate deputandi personam, seu personas per Congregationem dicti Hospitii Apostolici ad effectum, exigendi dictos fructus, & emolumenta quæcunque, necnon Congregationibus, & Officiariis dictorum Officiorum interveniendi, memorato Hospitio Apostolico Pauperum invalidorum Apostolica auctoritate perpetuo concessimus, assignavimus, & applicavimus.

§.13. Ad hæc alia scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta præfatæ monetæ Romanæ ex trium scutiferorum, unius portionis Curforum duorum Lauretanorum, & aliorum duorum Piorum, & reliqui Lillii nuncupatorum Officiorum, quæ per obitum illa possidentium nuper vacaverant pretio retracta necnon pretium ex Officio Notariatus Magistratus viarum nuncupati pariter per obitum vacantis, venditionis retrahendum in banco dilecti filii Francisci Montioni nostri, & Camera prædictæ Depositarii Generalis in creditum memorati Hospitii Apostolici, & ad dispositionem Deputatorum eisdem Hospitii, & ad effectum illa, & illud in tot locis montium, censibus, seu stabilibus pro hujusmodi Hospitio investiendi per aliud desuper confectum, & per Nos die decima tertia currentis mensis Maji signatum Chirographum, cum derogationibus, & clausulis opportunis deponi mandavimus, prout dicta scuta undecim mille septingenta, & quinquaginta jam deposita fuerunt.

Confirmatio, & innovatio relatæ dotis.

§.14. Et nihilominus præmissis nostris Motus proprii cedulis, Chirographis, & Instrumentis harum serie majus robur, & pleniorum efficaciam adicere volentes, illarumque, & illorum, necnon quaruncumque aliarum literarum Apostolicarum, jurium, documentorum, fundationum, & dispositionum cujuscumque denominationis, & speciei, quarum, & quorum, mentio, expressio, seu insertio quoquo modo necessaria, vel opportuna fuisset, pro plene, & sufficienter, & de verbo ad verbum expressis habentes, motu, scientia, deliberatione, potestatis plenitudine similibus præfatas nostras Motus proprii Cedulas, Chirographa, & Instrumenta, hujusmodi, omniaque, & singula in eis contenta, & expressa, non solum eo qui in dictis Cedulis, Chirographis, & Instrumentis continetur, sed omni alio meliori, validiori, & efficaciori modo plenissime earumdem tenore præsentium perpetuo confirmamus, approbamus, & innovamus, ac inviolabiliter, & inconcusse servari volumus, & mandamus, omnesque, & singulos juris, & facti defectus etiam substantiales, si qui desuper quomodolibet intervenerint, seu intervenisse dici, censeri, aut pretendi possent, plenissime, & amplissime sanamus, & supplementum.

§.15. Insuper volentes ad eisdem Hospitii Apostolici Pauperum invalidorum, ut præfertur, erecti, fundati, & dotati, institutum, regimen, normam, & disciplinam procedere: In primis utriusque sexus vere pauperibus matrimonio non conjunctis, & corpore, vel ætate invalidis, sibi que propriis labore, & industria victum querere, non valentibus, nec eos a quibus alii deberent, & possent habentibus, viris

nimi-

simurum; mulieribus, & puellis in præfatorum Palatii Lateranensis, & Domus ad Pontem Sixtum, juxta destinationem, & distinctionem in posterum arbitrio infra scriptæ Congregationis faciendam, Pueris vero in Sancti Michaelis ad Ripam Tyberis magnam nuncupatam, Hospitiis, seu locis præfatis, victum, similemque respectively vestitum præfari volumus, & decernimus. Possit tamen quandoque aliquis conjugatus ad memoratorum Palatii Lateranensis, seu Domus ad Pontem Sixtum Hospitium admitti, eisdem, & alterius conjugis separatim extra Hospitium vivere volentes, mutuo accedente consensu, nec non incontinentia periculo, & suspitione utriusque cessante, & juxta casum contingentis, & circumstantias præfatæ Congregationis arbitrio ad hujusmodi Hospitium admitti ambo conjugati similiter pauperes, & invalidi, quando sint senes, & cessante incontinentia periculo, & suspitione maritus inter viros, uxor autem inter mulieres Hospitii præfati separatim, & caste vivere elegerint. Et nihilominus etiam pauperibus invalidis conjugatis, & infantibus, nec eos, a quibus alii deberent, & possent habentibus, qui alias omnino mendicare cogentur, volumus, & decernimus esse aliquem elemosynæ subventionem succurrendum.

De pauperum occupationibus.

§.16. At quia Pauperum hujusmodi non corporibus solum sed præcipue animabus consulere solenter intendimus, ut iisdem in otiosa desidia, a qua plura peccata procedunt, non torpeant, & quo magis fieri potest, in pietate, & charitate proficiant, statuimus, & mandamus, quod omnes, & singuli, qui non sint proflus inhabiles, ac præsertim pueri, & puellæ, quorum plerique non sunt corpore invalidi, sed ratione atatis, & præsertim etiam sexus foemine nequeunt sibi victum saltem honeste, seu sufficienter acquirere, & desidiosè mendicitati addictos, seu addictas esse non convenit, debeant juxta qualemcumque cujuslibet ædificavit ad beneficium Hospitii operari, salvo tamen Congregationis arbitrio aliquibus operantibus aliquam modicam portionem lucri ex opere cujusque illorum resultantis ei dimittendi. Sed quia minus est mala non agere, nisi quisque studeat bonis operibus insudare, volumus etiam, & decernimus, quod omnes hujusmodi pauperes majori, qua fieri potest charitate, conviventes, Missæ Sacrificio singulis diebus intersint, Sacramentalem Confessionem, & Eucharisticam Communionem, diebus per directores spirituales Hospitii Apostolici hujusmodi statuendi frequenter, ac quotidie precibus, & orationibus juxta horarium, ac regulas, & ordinationes desuper præscribendas, devotam operam impendant.

De imbecillibus, & incorrigibilibus.

§.17. Quoties vero pauperes hujusmodi eorum Institutio, disciplina, seu regulis contraverint, seu ea, qua decet, submissione, Superioribus quibuscumque non paruerint, vel alias animadvertione digni existimati fuerint, possit Congregatio præfata per se, vel per alios condignis, & opportunis poenis, etiam carcerationis, tum in Hospitii, ejusque locorum, & habitacionum hujusmodi, tum in publicis carceribus ab bene visum tempus hujusmodi contravenientes, seu inobedientes coercere. Quod si iidem adhuc relabantur, vel alias incorrigibiles seu ulterius non tolerandi existimati fuerint, debeant omnino nostri, & pro tempore existen-

tes in spiritualibus Vicarius Generalis, alique Judices competentes ad instantiam Congregationis præfatæ hujusmodi relapsos, incorrigibiles, seu amplius non tolerandos exilio, sub comminatione aliarum poenarum in casu contraventionis executioni demandandum, multare, & coercere, vel alias juxta delictorum qualitatem condignis poenis afficere.

De Vagabundis.

§.18. Quod si ii, qui vere pauperes, & invalidi in Hospitio hujusmodi, ejusque respectively locis, & habitacionibus commorari venientes, vel ab iis, qui illos alere tenentur, & possunt ali negligentes, vel pauperes, & invalidi non-existent, seu alias propriis labore, & industria juxta suam aptitudinem victum acquirere recusantes, seu non exquirentes, desidiosam vitam agere, & mendicare maluerint, debeant nos, & pro tempore existentes Romani Pontificis in dicta Urbe Vicarius in spiritualibus Generalis, quoad mendicantes in Ecclesiis, carumque portis, seu porticibus, idem vero Vicarius, & dictæ Urbis Gubernator, alique Judices Competentes quoad mendicantes per eandem Urbem, tum ex Officio, tum multo magis ad quamcumque præfatæ Congregationis hujusmodi Hospitii Præfidentis instantiam, eorum familiis armatis hujusmodi mendicantes carcerandos, & poenis carceris ad tempus exilii, aliisque eorum arbitrio coercendos curare, & ut hujusmodi mendicatio proflus eliminetur, fatagere, invigiletque præfatus pro tempore existens Urbis Gubernator, ut Bannimenta contra vagabundos edita, & edenda, ac poenæ in illis statuta, & statuenda omnino, & solenter executioni demandentur.

De pauperibus ob aliorum avaritiam.

§.19. Cum autem frequenter contingere possit, ut ii, qui pauperes, & invalidos alere tenentur, & possunt, id ipsum adipiscere recusent, seu ab iisdem pauperibus, & invalidis arctari nolint, vel nequeant, invigilet etiam Congregatio præfata Hospitio Apostolico hujusmodi præposita, ut iidem pauperes invalidi sola facti veritate inspecta, manu Regia, & cum informationibus etiam extrajudicialibus a quibuscumque Judicibus competentibus, quibus ad hunc effectum necessarium, & opportunam facultatem impartimur, ad hujusmodi alimenta præstanda omnino compellantur.

Concessio indulgentiæ Plebaniæ Petri per modum suffragii in quibuslibet festivitibus, & articulo mortis.

§.20. Volentes præterea pauperum invalidorum hujusmodi, necnon Ministrorum, & Officialium quorumcumque in præfato Hospitio, ejusque locis, seu habitacionibus commorantium, ac etiam omnium, & singulorum de Congregatione hujusmodi Hospitio Apostolico præfidente existentium, devotionem celestium Ecclesiæ Theaurorum largitione magis, magisque excitare, & promovere, de Omnipotentis Dei misericordia, ac Beatorum Petri, & Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, omnibus, & singulis utriusque sexus prædictis, qui in Nativitatis Domini nostri Jesu-Christi, Epiphaniæ, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, Sanctissimæ Trinitatis, & Corporis ejusdem Domini nostri Jesu-Christi, necnon Purificationis, Annunciationis, Assumptionis, & Nativitatis Beatæ Mariæ Virginis, & Nativitatis Sancti Joannis Baptistæ, necnon Apostolorum, & Commemorationis omnium Sanctorum Festivitatibus, vere poenitentes, & confessi, & Sacra Communione refecti, pro Christianorum Principum concordia,